



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

IV. Aliquando etiam damnatis Episcopis restitutio indulta est à Summis Pontificibus, ex clementia, de synodorum consensu. Quod probatur exemplis. Caussæ Athanasij, Chrysostomi, & Flaviani, pertinent ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15591**

cutus est duos Episcopos Hispaniæ ordina-  
tos à Silvano Calagurritano; cuius præsum-  
ptionem coerceri petebat Ascanius Tarra-  
conensis Metropolitanus, quod se infcio  
contra canones Episcopos illos instituisse.  
Factum verò Silvani excusabant honorati  
& possessores earum civitatum quibus dati  
erant Episcopi. Disceptatio gravissima in  
Synodo Romana peracta est, & temporum  
necessitate perspecta, id est, Gothorum omnia  
devastantium furore, ad veniam pertinere quod  
gestum est decrevit Hilarus, ita ut nihil deinceps  
contra præcepta beati Apostoli, nihil contra  
Necessariorum canonum constituta tentetur. Vnde  
colligitur non solum quod contendimus,  
venie ratione concedi solitas dispensationes,  
sed etiam eam esse vim necessitatis ut ordina-  
tio Episcopi sine Metropolitanano celebra-  
ta, licet nullas vires habeat juxta Concilij  
Nicæni & Antiocheni canones, tamen eo  
casu convalescat.

III. Ea quæ dixi, personis ob pacem Ec-  
clesiæ indulta sunt. Aliquando verò exacta  
disciplina ad tempus remittebatur, ut rebus  
ipsis & statui ecclesiastico restituendo con-  
suleretur. Qua ratione ductus Gelasius,  
cùm fame & bello devastata esset Italia, ut  
ministeriorum officia in Ecclesiis repararet,  
promotionum ecclesiasticarum intervalla  
antiquis decretis præfixa ad tempus remisit,  
ita ut monachis intra annum, & laicis intra  
decem & octo menses, presbyterij gradum  
adipisci liceret: *Quod pro accidentis defectus  
remedio providetur, inquit ille, non adversus  
scita majorum nova lege proponitur.* Id autem  
necessitate cogente aggressum se fuisse ait,  
& necessaria rerum dispensatione constri-  
ctum: *Necessaria rerum dispensatione constri-  
gimur, & apostolica sedis moderamine conveni-  
mur, sic canonum paternorum decreta librare,  
& retro presulum decessorumque nostrorum præ-  
cepta metiri, ut quæ presentium necessitas tem-  
porum restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit,  
adhibita consideratione diligenti, quantum fieri  
potest temperemus.* Et mox: *Præcis igitur pro  
sui reverentia manentibus constitutis, quæ, ubi  
nulla rerum vel temporum perurget angustia,  
regulariter convenit custodire.* Hic Gelasius  
utitur eodem sensu dispensationis voce, quo  
οὐκ ὀρθοπέλα usurpatur apud Græcos.

IV. Aliquando etiam iudicio synodali  
dejectis Episcopis, restitutio est clementer  
indulta à Summis Pontificibus; ita tamen  
ut synodorum consensus accesserit. Quod  
tribus exemplis illustrari potest: quorum  
unum in Italia, alterum in Gallia locum ha-  
buit, & tertium in Oriente. Misenum Epi-  
scopum honore & communione in Synodo  
Romana privatam Gelasius in altera Syno-

do Romana sacerdotali dignitati restituit  
anno quadringentesimo nonagesimo quin-  
to. Rothadus Episcopus Suesionensis sede  
sua à Synodo Gallicana dejectus est anno  
octingentesimo sexagesimo quinto. *Notrum  
iudicium, inquit Hincmarus, per regulas exe-  
cutum, sedes apostolica non cassavit; sed Rotha-  
do, qui ad eam fecit confugium, humiliter pos-  
centi solarij benignitatem impendit.* Scio qui-  
dem à Nicolao primo rescissam synodi sen-  
tentiam, à qua Rothadus appellaverat. Sed  
quia Gallicani Episcopi illo casu non esse  
locum appellationi contendebant, ideo  
Hincmarus clementiæ Nicolai tribuit Rothadi  
restitutionem; cui Ecclesia Gallicana  
assensit, sub titulo restitutionis à Nicolao  
ex benignitate & venia indultæ. Apu  
Orientalem Ecclesiam qui motus à Photio  
excitati fuerint, docent & Nicolai epistolæ  
& Synodus Octava, quæ illum Patriarcha-  
tu Constantinopolitano depulit, & percu-  
lit anathemate. Attamen Ignatio functo,  
Photius toties damnatus sedem suam recepit  
suffragiis Orientalium Episcoporum, adni-  
tente Basilio Imperatore. Sed illa restitutio  
integra esse non poterat, nisi à sede aposto-  
lica probaretur. Quare Ioannes VIII. ro-  
gatus ab Imperatore ut Ecclesiæ paci con-  
suleret, necessitati cedens, Leonis, Gela-  
sij, Felicis, & Concilij Africani auctoritate  
fretus, qui in rerum angustiis temperandas  
esse regulas docent, de consensu ceterorum  
Patriarcharum Photium anathemate libera-  
vit, illique sedem retinere concessit, ea  
lege, ut coram synodo cogenda misericor-  
diam peteret. De consensu, inquam, cete-  
rorum Patriarcharum & Episcoporum  
Ioannes Photium solvit, ut videre est in  
epistola germana ejusdem Ioannis; quan-  
quam in epistola à Photio corrupta hic con-  
sensus desit. Vnde occasionem sumpsit au-  
ctor Breviarij Octavæ Synodi, hanc Photij  
restitutionem à Ioanne VIII. decretam con-  
vellendi; quia scilicet unum Patriarchium  
damnatos à ceteris Patriarchis solvere non  
potest, ἐν πατριαρχειῶν δόξαι οὐ δύναται. Imò  
verò neque per modum dispensationis hoc  
fieri posse concedit, quia ex Chrysofomo  
dispensationi locus non est, cùm manifesta  
est prævaricatio. Ceterum à culpa Ioannem  
liberat Principis & ceterorum Patriarcha-  
rum totiusque Synodi Orientalis consensus,  
quem datum fuisse Ioannes suis literis signi-  
ficat. Profert autem ad confirmationem  
sententiæ suæ exempla Athanasij, Chryso-  
stomi, & Flaviani; qui à synodis damnati  
cùm fuissent, à sede apostolica in integrum  
restituti sunt. Quibus exemplis quoque Pho-  
tium à Ioanne restitutum scribit Ivo, cùm

Hilar. ep. ad Af.  
III. 420 451.

Gelasio ep. ad  
Episc. Italian.

Io. VIII. ep. ad  
Basilium.

Hincm. c. 5.  
Opat.

Vide lib. 7. cap.  
14. §. 5.

Ioan. VIII. ep. ad  
Basilium.

Breviarium VIII.  
Syn.



Dein Praesul.  
Decc.

de jure dispensationum loquitur. Sed ab iis referendis temperavi, quia restitutiones illæ ad Appellationum jura pertinent, & ad judicatorum rescissionem, non autem ad restitutionem ex benignitate indultam, quemadmodum tria superiora, quæ retuli, exempla.

V. Ceterum hic repetendum est quod initio adnotavi, nullum edi posse testimonium, quo doceatur à veteribus veniam infringendi canonis alicui collatam fuisse, sed tantum infracti. Ea scilicet Canonum & Decretorum erat reverentia, ut ea violari à quoquam æquo animo Pontifices ferre non possent; quin potius statim canonica pœna reos convictos plecterent, nisi necessitatis aut publicæ utilitatis manifesta ratio aliud suaderet. Zacharias hac de re certiores nos reddidit, qui rescriptis Bonifacio Moguntino conquerenti de indulta facultate à Gregorio III. ut quis viduam avunculi sui uxorem duceret: *Absit ut hoc prædecessor noster ita credatur præcepisse. Nec enim ab hac apostolica sede illa diriguntur quæ contraria esse patrum sive canonum institutis inveniuntur.* Imò verò cum idem Bonifacius enixè à Zacharia postularet ut sibi liceret Episcopum successorem eligere, respondit juxta mores antiquos: *De eo quòd tibi successorem constitui velle dixisti, ut te vivente in loco tuo eligatur Episcopus, hoc nulla ratione concedi patimur, quia contra omnem ecclesiasticam regulam vel instituta patrum esse monstratur.* Id autem charitate cogente homini de Ecclesia optimè merito indulgit, ut ea hora qua se migraturum è seculo cognosceret, præsentibus cunctis sibi successorem designaret.

Zach. ad Bonif. c.  
3. an. 743.

Idem c. 4. & apud  
Erat. 7. q. 1. c.  
Retijf.

VI. Post seculum undecimum frequentior esse cœpit dispensationum usus, Ecclesiæ statu ita ferente; qui variis bellorum motibus & novis Decretis valde concussus erat. Attamen id superfuit ex antiqua disciplina, ut nihil indulgeretur, quin utilitate publica compensaretur; ut colligere licet ex præfatione Ivonis, quam Decreto suo præfixit. Ex ea regulas quasdam decerpere non alienum erit ab instituto, quia hodie etiam in quibusdam articulis usui esse possunt. Præceptiones, & prohibitiones, alias immobiles esse docet, alias verò mobiles. Ac primi quidem generis sunt illæ quas lex divina sancit, quæ observate salutem conferunt, non observate eandem auferunt. Mobiles verò sunt, quas lex æterna non sancit; sed posteriorum diligentia ratione utilitatis invenit, non ad salutem principaliter obtinendam, sed ad eam tutius muniendam. Quo in loco reponit canonicas institutiones. Mox addit: *In his*

quibus observatis salus acquiritur, vel in quibus neglectis mors indubitata consequitur, nulla est admittenda dispensatio; sed ita sunt omnia mandata vel interdicta servanda, sicut sunt æterna lege sancita. In his verò quæ propter rigorem discipline, vel muniendam salutem, posteriorum sancit diligentia; si honesta vel utilis sequatur compensatio, potest præcedere auctoritate præsidium diligenter deliberata dispensatio. Utitur voce Compensationis, quam è Concilio Africano hausit, ut significet utilitatem cujus ratione venia canonum indulgetur. Usus autem harum dispensationum docet testimoniis aliquot petitis ex Augustino, Cyrillo, Innocentio, Leone, Gelasio, & Joanne octavo. Connumerat verò inter dispensationum exempla promotiones Felicis, Gelasij, Agapiti, Silverij Summorum Pontificum, etiam filij Presbyterorum essent; quorum ordinationes veritæ erant Decretis Pontificum. Sed in eo fallitur, quòd Decreta illa aliquot seculis posteriora sint ordinationibus illis quas recensuit. Translationes etiam Episcoporum ab una civitate in aliam, jam olim à severiore Ecclesiæ admittas, dispensationibus accensuit. Sed illæ ad canonum interpretationem referendæ sunt potius quàm ad dispensationem: quoniam migrationes quidem Episcoporum voluntariæ prohibita sunt à canonibus, Translationes verò cum causæ cognitione decretæ, non sunt vitia. Prohibetur ut *Calixtus*, non *revertens*, ut loquuntur Græci. Qua de re alibi. Depositorum Episcoporum, Athanasij scilicet, Flaviani, & Chrysoptomi, & aliquot aliorum restitutionem à sede apostolica decretam, inter dispensationum exempla Ivo recenset; sed perperam, ut supra monui, cum hæc ad judiciorum restaurationem pertineant.

Dispensationum usum frequenter in epistolis suis commendat idem Ivo: in quibus hanc præcipuè regulam sequendam docet, ut fides vel boni mores non lædantur: *Tunc possunt Praesules legum rigorem propter necessitates ecclesiasticas temperare, quando ipsa legum remissio nihil continet contra fidei veritatem vel morum honestatem.* Et alibi: *A subditis non debet reprehendi Prelatorum dispensatio, si salvo fidei fundamento, & notâ communi regulæ morum, aliqua infirma faciunt, aut tolerant, ut vitam subditorum in proposito suæ sanctitatis conservare valeant.*

VII. Eodem seculo Anselmus Cantuariensis à Paschale secundo sibi concedi petit ut juxta arbitrium suum leges ecclesiasticas temperare possit in Angliâ; ubi, ob corruptos mores, disciplinæ tenor servari